

**Manibus**  
**Caroli Ernestii Christophori**  
**SCHNEIDERI**

**Vratislaviensis Professoris dilectissimi**

versionem hanc meam

**librorum Reipublicae Platonis**

polonam

sacram esse volui.



**Q**uae duplex est Graecorum imprimis scriptorum in nostratium linguas vertendi ratio, quorum tu cogitata aut eadem qua ab ipsis induta sunt specie reddas compressa, aut verbosius ea repraesentes forma recentioris linguae genio magis accommodata, harum ego quidem priorem vindicandam esse contendo Platoni meo. Quaecunque enim est vis dialecticae artis: revera unica sit via qua ad veritatem perveniatur, an non iniuria vehementer id addubitari liceat, hoc philosophis dirimendum stabiliendumque si possint relinquimus, nobis perspexisse sufficit, valere haec dialecticam visum esse Platoni. Itaque quam solam investigandi eruendive veri aptam esse viam opinatus atque ingressus est vir nobilissimus, eam neque nobis in intelligendis eis quae disputaverit, tanquam vestigia prementibus abditissima perquirentis, non percurrendam esse totam apparet. Iam quae existimavit ac senserit Plato nostris hominibus manifesta fieri evidenter, ipsa operum illius versione, studentibus, haud scio an nulla efficacior sese offerat ratio, ea qua ad verbum quod dicunt, et dicta et sensus philosophi, pie servata illorum non vi modo sed etiam structura, expressa in lucem prodeant.

Eam secuti nihil timemus, ne sic conversus Plato graeci sui que sermonis vere peritum lectorem offendat, modo studium non omni arte caruerit. Quanquam haec artis subsidia illis ipsius sunt depromenda arcanis, quae neque fas sit in vulgus efferre initiatos, neque, quum maxime esset, clare elucescerent evulgata. Sive tu enim voce hic illic vocula, tum intellectui lectoris tui succurris tum sensu pulchri, qualem animo habere informatum suspiceris, adaptas antiquorum monumenta, sive invenis sive mutas passim nonnulla, omnia tam sunt subtilia, ut facilius sentiri quam definitione explanari queant. Quae vel ingenio praedictorum atque acutissimorum virorum aciem effugere, de multis Goethius testatur. Quum videlicet desperasset inter nostros formosissimus mehercule Musarum alumnus, fore ut copiosiore quadam praefatione persuaderet legentibus quae vellet, omissa quamvis subtili disquisitione, celeberrimis epigrammatibus quae ad Graecorum formam confecerat, haec simplicissima superscribere acquievit:

Stehn uns diese weiten Falten  
In Gesichte wie den Alten?

Utut est, certe quae Goethium suis innovasse in literis, paene dixi, ad amussim imitatum esse, conclamatum est a viris eleganti iudicio exstructis, haec nobis cum fide, ut tamen antiquissima iniungit lex interpretibus, idque retractantibus modo Polonorum sermone Graeca, ecquis fuerit eorundem qui crimini vertat?

